



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Virtute Religionis, Et Ei Annexis; Continens septem Tractatus
Theologiae Moralis praecipuos. Primus, in ordine septimus, est de Oratione
... Septimus, & latissimus, de Beneficiis Ecclesiasticis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

Qualiter possessione de facto, licet non de iure ius in beneficium
acquiratur. punct. 33

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76561)

possident, corrigi, de dolo & contumacia quibus cauetur (inquit) executorem iudicis inbens aliquem mitti in possessionem alicuius rei posse eadem possessionem tradere, vel in conspectu rei, vel extra ipsum conspectum, si non est tutus ad ipsam rem accessus ob potentiam, occupationem, & vires alterius, modo aduersus illum lata fuerit sententia iuris ordine seruato, cum alioquin possessione, quam habet, priuati non possit consentire Valq. de benef. esp. 4. § 4. dub. 7. in fine.

10 Aduertur tandem Couarr. aliis relatis dicto lib. 3. var. c. 16. num. 13. apprehensa possessione beneficii, aut dignitatis in ipsa Ecclesia, cuius titulum, & nomen dignitas, seu beneficium habet, censeri apprehensam possessionem omnium ad dignitatem, vel beneficium pertinentium Nam licet Ecclesia pastoris, aut beneficiario careat, continet tamen omnia ad beneficium, seu dignitatem pertinentia. Ergo apprehensa possessione beneficii in ipsa Ecclesia, censetur apprehensa omnium, que ad beneficium pertinent. Secus vero dicendum est, si apprehendatur possessio alicuius rei singularis ad beneficium pertinentis, non obinde sequitur reliquarum possessionem apprehendi, tamen nomine alicuius rei singularis ad beneficium pertinentis, cetera non continentur, consentit Valq. supra. dub. 6. in fine. Et clarè colligitur ex h. cum heredes. ff. de acquir. possell.

P V N C T V M XXXIII.

Qualiter possessione de facto, licet non de iure, ius in beneficium acquiratur.

- 1 Possessio ex mala fide nullum ius concedit.
- 2 Ex possessione bona fide absque legitimo titulo ius in beneficii acquirere videtur. Et expenduntur regula Cancellaria.
- 3 Verius est neque annali, neque triennali possessori titulum in beneficio concedi.
- 4 Annali & triennali possessio exceptionem aduersus molestiam tenet. Et beneficium impetrantem concedit.
- 5 Explicatur regula de annali possessore.
- 6 Defendit hac regula possessorem alias inhabilem, & incapacem, dum inhabilitas non exprimitur.
- 8 Coram ordinario non sunt exprimens conditiones relaxari in reg. de annali possessore.
- 8 Explicatur regula triennali possessoris.
- 9 Defendat ne hac regula triennales possessores pacificos alias inhabiles, preter inhabilitatem simonia, & intrusionis negant plures. Probabilis est oppositum.
- 10 Probabilis est ad hanc exceptionem non esse in possessoribus bonam fidem requisitam.
- 11 Explicantur exceptiones simonia & intrusionis.

Dupliciter beneficium possidere de facto potes, mala, vel bona fide. Si mala fide possideas, certum esse debet nullum in beneficio te ius acquirere, quantumuis longissimo tempore possideas. Tum quia mala fidei possessor nullo tempore prescribitur, cap. possessor. de reg. iur. in 6. Tum quia vitium intrusionis, & obinde penam inhabilitatis incurris. Tum quia non meritis ex delicto commodum reportare: & ita tenet expresse Rebuff. tract. de pacificis possessoribus. num. 18. Nauar. l. 3. consil. tit. de prebendis. cons. 41. in fine. in 1. edit. & in 2. tit. de Parochis. cons. 2. sine Thom. Sanchez. l. 7. in decal. c. 29. n. 91.

2 At si beneficium bona fide possideas cum tamen legitimum titulum illius non habeas, est difficultas an hac possessio concedat tibi titulum: & ius ad beneficium, sicuti concedit possessio bonorum secularium legitimo tempore continuata. Videtur namque titulum ex tali possessione habere, sic Pontifice concedente in regulis Cancellarie, de annali, & triennali possessore. Nam in regula Cancellaria de annali possessore dicitur. Sanctissimus. D. N. vt improbi lites exquirentium motus reprimentur, voluit, statuit, & ordinavit, quod quicumque beneficium Ecclesiasticum tunc per annum immediatum precedentem pacifice possiderit, & quod certo modo vacare preterit, deinceps impetraverit nomen, gradum, & pobilitatem possessoris eiusdem, quotannis ipse possidet, & specificam, & determinatam, ex qua clarè constare possit, quod nullum ipsi possessori in dicto beneficio ius competat: causam in huiusmodi impetratione exprimit, & infra sex menses ipsum possessorem ad iudicium euocari facere, causamque ex tunc desuper infra annum vsque ad sententiam definitam inclusiuè protestari debeat, & teneatur. Alioquin impetratio predicta, & quicumque inde secuta nullius existant similitatis. Et idem impetrans de damnis, & interesse possessorem predictum propterea contingentibus satisfacere. Et si possessorem ipsum fruolè, ac indebitè molestare perpetus extiterit, quinquaginta florenos aut perfoluere cetera Apostolica sic aditum, nec alius, quam predicta vacationis modus etiam per litteras, si negari, si nulli, aut subrogationis vel alias tibi quoad hæc, vt huiusmodi beneficium ea vice consequi, vel obtinere valeat, quomodolibet suffragetur, illudque nullatenus in antea litigiosam propterea censeatur. Huiusque regula de annali possessore. Ex qua videtur colligi pacificam possessionem bona fide per annum

continuam ibi concedere beneficii titulum, siquidem impetratio, nisi ob speciem, & determinatam causam, ex qua clarè constet, quod nullum dicto possessori ius in beneficio competat: quod non videtur cum possessione bona fide coherere posse. Regula vero Cancellarie de triennali possessore etiam hanc titulum concedit. Inquit enim: *Voluit, & ordinavit Dominus Noster, quod si quicumque Ecclesiastica beneficia, qualicumque sint, absque simonia in egressu, ex Apostolica, vel ordinaria collatione, aut electione, & electionis huiusmodi confirmatione, seu presentatione, & institutione illorum, ad quos beneficiorum huiusmodi collatio, pronisio, electio, & presentatio, seu quicquid alia dispositio pertinet, per triennium pacificè possiderit, dimmodo in beneficiis, si dispositioni Apostolica ex aliqua reservatione generali in corpore iuris clausa reseruat fuerit se non intruserit, super huiusmodi beneficiis taliter possessis molestari nequeat, necnon impetrationes de beneficiis ipsis sic possessis factas irritas, & inanes censeri debere decreuit antiquas lites super illis motas penitus terminando. Cum igitur triennium pacificè possidentem prohiberet Pontifex molestari, & beneficia ab ipso possideat impetrare, videtur inferri ius ex tali possessione acquirere. ob quod iuste, & legitime possit beneficium retinere. Ad hæc hanc titulum consequentem esse bono respicienda ad viandas lites, & contentias possidentum pacandas. Ergo censeri debet Pontifex illum concedere, ea inquam, ratione, qua princeps secularis viacatione domina rerum confert: & ita tenet Azor. in triennali possessore. 2. p. instit. moral. lib. 7. c. 35. quæst. 9. & 9. cum Rebuffo tract. de pacificis possessoribus. num. 22. Nauar. lib. 3. consil. in 1. edit. tit. de prebendis. cons. 41. & 42. & in 2. edit. tit. de Parochis. cons. 2. sine. & tit. de prebendis. cons. 30. Thom. Sanchez. l. 7. in decal. c. 29. n. 80. & alij apud ipsum.*

3 Nihilominus verius est reque annali, neque triennali possessori pacifico, & bona fide titulum beneficii ex possessione concedi. Et quidem annali possessori titulum non concedi est omnium sententia, & itadi Azor. 2. p. lib. 7. cap. 37. quæst. 16. Et ratio ea est, quia in regula de annali possessore, neque exceptio à lite conceditur, neque impetratio prohibetur allegari causa specifica, determinata, & clara nullitatis: que certè esse potest cum ignorantia probabili possidentis, Quod enim oblat, quominus ante legitimum gratum beneficium affectus sit ignorantet, vel cum alio iuridico impedimento, quod collationem clarè annullat. Ergo tali impedimento supposito, esse probabiliter ignorato, impetrari tibi beneficium potest. Ergo possessio annalis non concedit titulum.

Quod autem nec triennalis possessio titulum concedat aliis inhabilibus, & incapaci docet Rebuff. tract. de pacificis possessoribus. à numero 206. & videtur tenere Azor. 2. p. lib. 7. cap. 35. quæst. 1. in fine quatenus dicit ex vi regule triennalis possessoris solum defendi triennalem possessorem habilem, & aptum ad beneficia obtinenda. Ergo inhabilis, & incapax non defenditur, & consequenter nec titulus ei conceditur. Alias spiritus hæreticus, infamis, suspensus, irregularis recipiens beneficium, & pacificè per triennium possidens, possit in conscientia beneficium retinere, quod est absurdum. Ratio est: quia impedimentum canonicum oblat beneficij receptioni, & collationem annullans oblat etiam libet beneficij continuationi, & illius firmitati. Ergo collatio beneficij, que ob impedimentum recipiens nulla fuit à principio, nullumque recipienti titulum concessit, stante supradicto impedimento semper erit nulla, nullumque titulum concedit. Ergo inhabilibus, & incapaci nunquam conceditur titulus, neque prescriptio.

Verum quia successu temporis potest tolli hæc inhabilitas, eo casu defendunt plures triennalem possessionem titulum concedere, quia est possessio cum titulo colotato, continuata per tempus ad prescribendum sufficiens. Sed mihi verius videtur, etiam tali possessione titulum non acquiri. Quia supradicta regula solum prohibet, ne possessor triennalis pacificus molester litibus ibi, super huiusmodi litibus taliter possessis molestari nequeat: quod optime fieri potest, esto ipse teneatur cognoscere vitium suæ pronisiois, beneficium dimittere, aut dispensationem impetrare, sic Colmas pragmat. sancta. tit. de pacificis possessoribus. verò triennio, & verbo molestari, Couarr. reg. possessor. 2. p. §. 10. num. 15. concl. 6. & 7. Azor. ubi non constans. 2. p. l. 7. c. 35. §. 3. Et ratio meo iudicio, est efficax, quia beneficii titulus acquirit non potest aliter quam canonica institutione, cap. ex frequentibus, de institutionibus. Et cap. 1. de regul. iur. in 6. Ergo prescriptio acquirit non potest. Ergo triennalis possessio titulum non concedit. Ad hæc si triennalis possessio titulum concederet, & securum in conscientia redderet possessorem, non possit ordinarius à triennio possidente beneficium titulum exigere, & examinationi subicere, cum tamen contrarium multis probetur, quos referat, & sequitur Couarr. sup. n. 2. o. conclus. 8.

4 Sed inquires, quem fructum annalis, & triennalis possessio ex annali, & triennali possessione consequatur? Respondet hanc potissimum consequi, nempe exceptionem aduersus quemlibet molestiam, & beneficium impetrantem. At qua diu sitimoda hic effectus obinetur ex annali, quam triennali possessione, ea de causa placet vtramque regulam explicare.

DE CASTRIS PALATIUM

Regula namque de annali possessore non prohibet absolute possessorem, molestare, neque eius beneficium impetrate, sed solum casu quo non seruentur conditiones in regula præcipue: illis tamen seruat impetrationem concedit. Conditiones verbæ hæc sunt primæ, vt exprimas nomen, gradum, & nobilitatem possessoris, & quot annis possiderit. Vnde melius Pontifex cognoscere possit, debeant beneficium ab eo auferre, & tibi impetranti concedere. Nomen inquam, debes exprimerre, ex cognomen non censeo necessarium exprimendum; quia regula solum de nomine, non de cognomine mentionem facit, & cum sit onus, non debet tibi ab que manifesta ratione imponi, tamen contumaciter Rebuff. gloss. 9. Azor. 2. p. instit. moral. lib. 7. cap. 34. quæst. 8. Deinde gradum iuratum explicare tenentis, scilicet esse doctorem, licentiatum, vel magistrum in theologia, iuræ canonice, aut ciuili. Non tamen credo, quod dicitur or. quæst. 9. te obligatum esse explicare, an theologus, vel iuris canonice publicus professor sis; quia hæc profectio munit est, & officium, non gradus, esse gradum supponat. Item exprime debes nobilitatem possessoris, esse inquam, ex nobili genere natum, ac tandem quot annis beneficium possiderit: que omnia referre debes iuxta communem populi opinionem: neque enim obligatus es ampliore informationem facere. Secunda conditio est, vt in huiusmodi impetratione exprimas causam specificam, & detem natam, ex qua clarè constare possit nullum ipsi possessori in dicto beneficio ius competere, specificam inquam, & determinatam. Vnde non sufficit in genere allegare nullum possessori ius in beneficio competere, sed necessario debes causam determinatam, & specificam, hoc est, singularem, & indiuiduam proponere, ex qua clarè, & non sub dubio constet nullum possessori ius competere.

His conditionibus existentibus conceditur tibi beneficium, sed sub eo onere, si preces veritati nitantur. Ad quam probationem infra sex menses, à die impetrationis numerandos ipsum possessorem ad iudicium debes euocare, ita vt per te ipsum non sit, quomam citetur; in superque tenentis causam infra annum à die citationis protequi, vt quantum fieri possit definitiōe sententietur. Alioquin impetratio præiudicia, & quecumque inde secuta nullius existunt firmatari; quia sub prædictis conditionibus impetrationis concessio facta est, Damnaque, & interesse possessoris propter contingentia faustacere tenentis, & si possessorem ipsum frivole, ac indebitè molestasse repetitis fueris, so. hocenno auri persolvere cameræ Apostolicæ additendus es, neque alius, quam prædictæ vacationis motus etiam per litteras, si nentri, si nulli, au. subrogationis, vel alijs tibi quoad hæc vt huiusmodi beneficium ea vice consequi, vel obtinere valeas, quomodolibet instigat. Prohibet namque Pontifex, post licentiam contestatam quamlibet aliam impetrationem, vapore dolosam, & fraudulentam, non aliter; ac si beneficium illius litigiosum est, quod nullatenus ob huiusmodi repuliam, & reiectam impetrationem dicendum est.

6 Ex his inferretur decisio illius questionis; an hæc annalis possessio defendat possessorem alias inhabilem, & incapacem? Respondeo defendere, si non exprimis specificè, & determinatè causam inhabilitatis. Non quia ex illa possessione ius aliquod in beneficio acquiritur possessori; sed quia dum causam nullatenus non exprimis, virtute regulæ iurisdictionis ab impetratione excluderis. Rebuff. in præsent. gloss. 3. Azor. 2. p. lib. 7. c. 34. quæst. 7.

7 Aduerte tamen in impetratione coram ordinario facta necesse non esse iurisdictiones conditiones exprimerre; quia ordinario cognitum esse debet quis sit annalis possessor, & quem titulum habeat, & quot annis possiderit, cum diocesani visitare quotannis teneatur. e. p. discernimus. 10. q. 2. c. 1. con. querunt. de officio ordin. in 6. Solum comparatione Pontificis, hæc ad inguem exprimenda sunt: quia non presumitur possessorem cogoscere: sic Gomez. quæst. 9. Mandof. quæst. 50. Azor. 2. p. instit. moral. lib. 7. cap. 34. q. 1. An autem in impetratione à legato idem fit dicendum, quod in ordinario? Affirmat Gomez. quæst. 10. eo quod legatus in sua prouincia ordinarius censetur. cap. 2. de offi. i. legat. in 6. At probabilis negat Azor. cum Rebuff. & Mandof. supra quæst. 11. eo quod legatus ac Pontifex possessores beneficiorum, & beneficia ipsa incognita sunt. Neque egatur proprie ordinarius, sed impropiè, & superinductus, vt bene Gonzalez gloss. 2. c. 37. c. 38. c. gloss. 24. n. 36 c. 37.

8 Regula vero triennalis possessoris defendit possessorem triennale pacificum, ne villa ratione molestetur, neque eius beneficium impetretur, nisi forte per simoniam beneficium obtineat, aut in illud sit intrusus. Pacificus possessor est, qui triennio beneficium aliquod absque vlla lite possidet ex probabili, verisimilique titulo. Nam licet ad priuilegium annalis possessionis, iuxta regulam de annali, sufficiat sola beneficii coparalis detentio; ac ad triennalis possessionis gratiam habendam titulus saltem coloratus requiritur, vt patet ex illis verbis. Ex. Ap. solita sede, vel ordinaria collatione, &c. & notat Azor. 2. p. lib. 7. cap. 34. quæst. 5. Dixi, qui t. iennio continuo beneficium possidet absque vlla lite. Ad cuius triennii computa-

tionem nequaquam deseruire potest possessio antecessoris. Nam licet in præscriptione, & viuapione rerum ciuilium, & profanarum possessio antecessoris successori adioctetur, illicque proficit, ac si ab ipso haberetur. P. p. i. i. de acquir. poss. ff. l. 1. tam tempus. ff. de iurisdictionibus. At in beneficiorum possessione locum non habet. Quia nullibi cautum est hæc fictio iuris continuationem deseruire. Deinde cessu vel decessu beneficii iuratus beneficij extinguitur. Ergo ipsa possessio, que illi accessoria est, extinguatur: sic alijs relatis Azor. 2. p. lib. 7. c. 34. & loquens de annali possessore, c. 34. q. 7.

9 Sed dubium est, an hæc regula defendat possessores triennales pacificos alias inhabiles, & incapaces, modo non sint incapaces ex simonia, vel intrusione: Negat Glossæ author, & Rebuff. de pacifi. possessore. num. 106. Azor. 2. p. instit. lib. 7. c. 34. quæst. 1. in fine. & ex parte consentit Sanch. lib. 7. in dec. l. cap. 29. num. 86. c. 91. Moueri possunt, quia non est credendum Pontificem fauere velle iis, qui beneficia retinere nequaquam possunt, præcipue si aliquo modo constet de mala fide, que certe præsumi debet, quoties inhabilitas ex iure prouenit; quia ignorantia iuris non præsumitur.

Verum probabilis censeo, quoslibet possessores triennales pacificos, simoniacos, & intrusis exceptis, hæc regula defendi, ne aduersus illos intentari actio possit, neque beneficium impetrari: sic Ludouic. Gomezus reg. de triennali. quæst. 26. 27. c. 28. Paris. conf. 96. n. 1. c. 4. Nauart. cap. si quando. de res. 7. c. 1. ex. p. o. num. 9. Ratio ea est, quia excludens regula simoniacos, & intrusos tacitè comprehendit omnes alios qui ex alijs capitibus inhabiles sunt. Vt quid enim hos excludit, si omnes inhabiles excludi etiam? Neque inde fit Pontificem velle, vt inhabiles, & incapaces beneficia retineant: sed ne iustus ad petitionem partis impetrant; ordinarius tamen relinquit possessorem examinandum, qua ratione, & quo titulo beneficium possideat, iuxta cxi. in cap. grane, de præb. n. d. c. 1. v. Ecclesiast. benef. cap. ordinarij de officio ordinarij in 6. & tradit pluribus relatis Couarr. reg. possess. r. 1. §. 10. con. l. 8.

10 An autem hi possessores bonam fidem habere debeant, vt possint tibi contradicentes excipere? Affirmat Rebuff. de pacifi. possessore. num. 128. Nauart. lib. 3. consil. tit. de præb. n. d. con. l. 4. in fine. in 1. edit. c. con. l. 2. in tit. de parochis. in 2. edit. Thom. Sanch. lib. 7. cap. 29. q. 91. Moueri, quia cum mala fide non da ut præscriptio, Neque etiam conueniens Pontificem velle fauere peccantibus.

Sed verius est bonam fidem requisitam non esse vt tradit Ludouic. Gomezus reg. de triennali possessore. quæst. 42. Couarr. reg. possess. 2. p. §. 10. num. 10. con. l. 4. Ratio est; quia ex vi huius possessionis non præstabitur titulus in beneficio, sed prohibetur possidentis molestatio, & beneficij impetratio. Hic autem effectus obtineri non poterit, si regula solum possessorem esse bona fide faueret; siquidem impetrans beneficium obtinere poterat possidentem bona fide catere, quod facit probare possit, probando contra iuris ordinem beneficium possidere. Item lites, quas ex vno capite hæc regula vitare intendit, ex alio nascerentur. Nam si hæc regula solum vitare lites in possessore bonæ fidei, necessario possessor probare debet bonæ fidei possessorem esse, sicut probare debet triennale possidit m. vt se defendat. Cum autem difficillimum sit bonam fidem probare, præcipue cum beneficium possidet contra iuris ordinem lites nequaquam evitantur. Neque Pontifex fauere peccantibus intendit, ex eo quod hæc regula possessores malæ fidei defendat; sed solum intendit fauere reprobis lites ab ea remouendo, esto pro accidens inde sequatur fauor aliquis malæ fidei possessoribus.

11 Ab hac defensione (vt dictum est) excluduntur qui beneficia simoniacè fuerint ingressi. Quod intelligendum est de iis, qui scientes commisit simoniam beneficia ingrediuntur. Nam si illis ignorantibus simonia commissa est, non credo à fauore huius regulæ excludi; quia cum sit pœna, extendi non debet ad simoniam, in qua beneficiati culpabiles non sunt, sic Rebuff. de pacifi. o. possess. num. 242. alijs 193. Vgolin. tab. 4. c. 6. §. 4. num. 2. Lessius lib. 2. cap. 35. num. 140. Garcia alijs relatis. 8. part. de benef. cap. 1. num. 15. Deinde excluduntur, qui in beneficia re-tentata, re-tuatione clausa in corpore iuris se intruserint. Quod si iniquitas, qui dicantur se in beneficia intrudere? optime explicauerunt Domin. cap. propter d. sicut. 19. F. l. cap. veniens. num. 2. c. 3. d. a. reservatione. Ioann. Selua d. ben. f. 1. part. quæst. 1. num. 9. c. o. Rebuff. in præb. b. n. f. part. 1. in re-guis de subroga. dis. ellig. n. gloss. 4. Gomezus in reg. de triennali possessore. quæst. 47. quos refert Az. 2. p. instit. moral. lib. 7. cap. 34. quæst. 10. Couarr. libro 1. rino. cap. 16. iur. num. 7. vbi alios refert. Ex his ergo doctoribus colligitur, illum esse intrusum, qui accipit, vel re-tinet beneficium eius nullum: ius perfectum ei competere, quæ definitionem deuocunt ex cap. ad aures. de ex. sibi: prælat. cap. qui. au. sibi rem. d. concess. præbend. cap. cum iam dudum. præbend. c. 1. ut quis a præbend. in 6. c. alijs. Vnde si beneficium accipias ab eo, quem scis carere potestate conferendi; vel quia excommunicatus vel suspensus, vel interdictus declaratus sit, vel ex alio capite priuatus sit potestate, intrusus es. cap. tanta de excessib. prælator. Item

Item, si propria auctoritate te in illud ingeris, ex dicto cap. ad aures. cap. cum iam dudum. Item si post electionem ante confirmationem beneficium administras quia iam te ingeris in beneficium abique iusto titulo, precipue cum ob hanc intrusionem ius tibi competens ex electione amiseris. c. auarit. de elect. in 6. Et idem est, si absque legitima institutione fructus beneficii percipis, ex dicto cap. auaritia. Item si detineas beneficium, quo ipso iure priuatus es quia iam te in beneficium ingeris sine titulo. Felin. in cap. in iura. de rescript. corol. 2. Quod est intelligendum, vt bene aduertit Couarru. 2. part. de sponsal. cap. 6. §. 8. num. 8. si accedat sententia saltem declaratoria criminis. Quia quouique hac sententia accedat, imo illius executio, titulum, & possessionem beneficii non perdis. Item si possessionem beneficii à Romano Pontifice concessi accipias literis non expeditis, quamuis supplicatio signata sit. Quia quousque literarum expeditur, non habes legitimam titulum possessionem accipiendi: ex dispositione facta à Iulio III. quae est in ordine 33. cuius meminit Garcia 4. part. cap. 2. num. 47. & docet Azor. dict. cap. 35. quæst. 10. circa finem. Præterea aliquibus placet te intulatum esse, si violenter beneficium occupes, tamen ad beneficium legitimam titulum habetes, ex dicto cap. eum qui. de præbenda. in 6. Azor. supra. quæst. 10. Ludovic. Gomezius in reg. de triennali possessore. quæst. 48. violentus enim beneficii occupator ius in beneficium acquisitum amittit ipso iure. Ergo sine iure se in beneficium ingerit, Ergo est intulatus. Ceterum credo probabilius te intulatum non esse, si legitimam titulum habeas. Nam esto ob violentam occupationem perdas ipso iure titulum, vt hæc amissio effectum habeat, debet sententia saltem declaratoria criminis accedere. Ergo dum hæc non accedit, non debes censeri titulo priuatus: sic alius relatis Couarru. lib. 3. var. cap. 16. sub num. 7. vers. illud præmittendum non est. Valquez de benef. cap. 4. §. 4. dub. 5. à num. 252. Violentum occupatorem voco eum, qui beneficium occupat, etiam si canonicum titulum habeat in iuris possessoribus, & eis contradicentibus, licet resistere conati non fuerint. Couarru. alios referens, vers. oportet. Valq. de benef. cap. 4. §. 4. dub. 5. à num. 251. Aduerto violentum beneficii occupatorem præiudicium venire beneficii obtentio. ex dicto cap. eum qui: intulatum vero inhabilem esse factum ad beneficia, quæ per intrusionem tentat acquirere: sic relati doctores.

PUNCTVM. XXXIV.

Qualiter deuolutione beneficium acquiri possit, & prouideri.

- 1 Quid sit deuolutio.
- 2 Qualiter deuolutio fiat, & ad quos.
- 3 Deuolutio fit cum qualitatibus beneficio annexis.
- 4 Ab vno remouet potestatem alteri conferre.
- 5 Coniungit deuolutio non solum ob negligentiam prouidentis tempore designato, sed quia inhabilem scienter prouiderit.
- 6 Quid si iure deuoluto scienter indignum prouideris, an reuertatur prouiso ad inferiorem?
- 7 Apposita distinctione fit satis.

Certum est potestatem prouidendi beneficium deuolutione acquiri. Deuolutio namque est iuris conferendi in alium translatio; ob culpam, & negligentiam primi collatoris in prouidendo. Cum enim omnibus collatoribus semper signatum sit, intra quod de beneficiis prouideri debeant, nec diu manerent in suspenso, ipsique sæpe in executione huius sanctissimi statuti negligentes forent. Pontifex volens huic tanto malo prouidere, statuit, vt elapso termino deuolueretur potestas ad superiorem, qui negligentiam inferioris suppleret; sic habetur c. 2. de concess. præbenda. cap. licet. de supplend. neglig. pralati. Rebuff. post regulam Cancellariae, de verissimi notitia tit. de deuolutione. Azor. 2. p. infl. moral. lib. 6. c. 27. in prin. q. 1. Garcia 10 p. de benef. c. 3. à n. 1.

Hæc autem deuotio gradatim fit ab inferiori collatore ad Episcopum, ab Episcopo ad Archiepiscopum, ab Archiepiscopo ad primatem, si illi subiectus est, & tandem ad Pontificem: colligitur ex dicto cap. nulla. de concess. præbenda. c. d. ap. licet. de supplenda neglig. pralati. & tradunt Rebuff. & Garcia supra. Ab Episcopo ad capitulum nunquam fit deuolutio propria; quia capitulum non est Episcopo superius, & deuolutio semper fit ad superiorem, vt inferioris negligentiam suppleat, tamen iure antiquo propter magnam communicationem Episcopi cum capitulo, & contra, ab Episcopo ad capitulum, & contra fieret deuolutio. cap. 7. de concess. præbenda. cap. cum in cunctis. §. fin. de electione. At iam consuetudine introductum est à capitulo fieri deuolutionem ad Episcopum, non e contra. Item ab Episcopo ad Archiepiscopum, & ab Archiepiscopo ad Pontificem. Quod si Episcopus, & capitulum inter se prouisionem beneficiorum, quæ ad ipsos inuicem pertinebant, per turbas diuiserint, & capitulum negligens fuerit in prouisione, vel sciens prouiderit indignum, nequaquam deuolutio fit ad Episcopum,

sed ad Episcopum, & capituli superiorem, quia in illa prouisione Episcopus non est capitulo superior, sed æqualis, & deuolutio nunquam fit ad æqualem, sed ad superiorem, vt bene notauit Garcia 10 p. de benef. c. 3. n. 35.

Rursum deuolutio semper fit cum qualitatibus beneficio annexis in prima prouisione: quia est prioris prouisionis omnia subrogatio, & consequenter illius conditionem subire debet, argum. leg. I. ff. de solut. c. leg. si cum. §. iniuriarum. ff. si quis carceri mitt. & tradit Gonzalez gloss. 46. num. 33. Azor. 2. p. lib. 6. cap. 27. quæst. 8. Garcia 10 p. de benef. c. 3. n. 42. Barbosa 3. p. de potest. Episc. alleg. 5. n. 11.

Deinde deuolutio ab vno remouet potestatem, & alteri conferre: remouet, inquam, à negligente collatore, & superiori conferre. Quapropter facta deuolutione ab ordinario collatore ad superiorem, ordinarius collator nullam habet potestatem pro illa vice beneficium conferendi. Quia ratione hanc negligentia ea priuatus est: sic Gloss. in cap. 2. de concess. præbenda. Azor. 2. p. lib. 6. cap. 27. q. 16. Neque obicit regulariter cap. libet datum à iure esse moram purgare. cap. potius. de leuato. leg. si quis possidet. ff. si quis carceri mitt. c. leg. inflam. ff. de vrb. obliq. Quia hoc intelligendum est casu quo per legem non impediatur. In præceteri autem impeditur moræ purgatio ab ipsa lege, priuante negligentem collatorem potestate conferendi. Ergo non potest moram purgare; & ita tradit Glossa in plures textus allegans in reg. moral. 25. de regul. iuris. in 6. c. cap. 2. de supplend. negligenti. Pralati. Titag. in leg. si vngquam. verbo reuertatur n. 310. Azor. 2. p. lib. 6. c. 27. q. 16. Barbosa 3. p. de potest. Episc. alleg. 72. n. 169.

Sed est dubium, an deuolutio contingat, non solum ob negligentiam prouidentis tempore designato: sed quia illo tempore inhabilem prouiderit? Respondeo contingere, si sciens inhabilem prouiderit. Quia idem est inhabilem prouideri, ac neminem prouideri. imo grauius delinquit inhabilem prouidendo: & ita tradit Zechus de benef. c. pensio. cap. 5. n. 5. Garcia de benef. to. p. c. 1. à n. 2. & colligitur aperte ex c. cum in cunctis. §. fin. c. c. r. p. c. m. §. si vero. de electione. c. si eum promissum, eod. tit. in 6. Dixi, si sciens inhabilem prouiderit: nam si ignorans feceris, priuari non debes potestate, vt tradit Glossa in supra. tit. c. alius illo tit. de elect.

Sed quid si iure deuoluto indignum prouiderit scienter, vel ignoranter, reuertitur, nec prouisio ad inferiorem primam collatorem, vel transferat ad superiorem, ac si nullam prouisionem fecisset: Ioann. Sclua B. n. sic. par. 3. q. 3. & Azor. 2. p. infl. moral. lib. 6. cap. 27. q. 7. c. 24. sentunt ad inferiorem collatorem redire prouisionem. Mouetur auctoritate Glossæ in cap. si electio. de electione. in 6. ibi: si electio ex eo non sortitur effectum, quia electus consensit seculari; vel post consensum renuntiat iuri suo, aut forte diem claudit extremum, seu propter occultum eius vitium irritatur: electores (quibus fecerunt, quod spectabat ad ipsos infra iuris terminum eligendo) habebunt à dissensu, renuntiatione, morte, vel irratione prædictis, ac si vocatio noua esset, tempus integrum ad electionem aliam, celebrandam, dummodo nihil fraudulenter egerint in præmissis: & addit glossa verbo aliam; hoc non solum in prima, sed in secunda, tertia, vel quarta electione locum habet, & non solum in ordinatis collatoribus, sed in illis qui iure deuoluto prouident.

Sed in hac parte cum distinctione est procedendum: si enim scienter prouides taliter indignum, vt ipsa prouisio nulla sit, non reuertitur prouiso ad inferiorem, sed ad superiorem transferitur. Quia inferior emendate non potest superioris vitium. Sic enim cum esses ordinarius collator, & scienter indignum prouideres, deuolueretur prouiso ad tui superioris, c. cum in cunctis. de elect. Quæ si iure deuoluto prouides, non debet eadem fieri deuolutio. At si ignoranter proceperis, iustum non est vt potestate priuatus, sicuti de ordinario collatore ignoranter indignum prouidente nuper diximus, nullam fieri deuolutionem. Verum si non ipso iure inhabilem prouideris, sed qui per sententiam postea inhabilis factus est, & eorum electio irritatur, existimo prouisionem reuerti ad primum ordinarium collatorem. Moueor: quia facta prouisione valida collata deuolutio, & si postea ob vitium electi irritetur, demum beneficium vacat, & tanquam deuotio vacans prouideri debet.



DISPUTATIO III.

De forma, & conditionibus seruandis in beneficiorum prouisione.

NON est facile in prouisione beneficiorum discernere, quæ requirantur vt forma, quæ vt conditiones. Requiritur vt forma, ita seruari debent, vt nec minimum omittatur, aliis actus corruit. cap. cum dilectum de rescriptis. & pluribus exornat Gonzalez gloss. 4. num. 17. Quia forma dat esse rei. leg. Diuus. ff. de in iure. r. r. §. de iure. §. 11.